

sitione sola conversio sufficiens esse cernitur. Quod per-
palàm evadit exemplo Aristotelis, *qui cum lib. 1. prior. c. 5.*
§. 8. 6. §. 12. 7. §. 3. modorum reductionem tractet, nullam
fecit mentionem propositionum translocationis, quia au-
tumavit, quod termini propositæ quæstionis satis indicaret
discrimen majoris & minoris propositionis. Et si sola
metathesis præmissarum sufficeret ad novam constituen-
dam figuram, plures quam quatuor forsitan possent con-
stitui figuræ.

§, XXV. Quod verò attinet reliquos postremos mo-
dos, nempe *FESAPO* & *FRESISO*, tum dicendum est, quod
à modis indirectis *Fapesmo* & *FRISESMO* parili modo solâ
præmissarum metathesi differant. Quod exemplis osten-
di poterit. Sic sit Syllogismus quartæ figuræ in *Fesapo*.

Fcs. N. Stella est corruptibilis.

ap. O. Corruptibile est elementare.

O. Ergò Q. elementare non est Stella.

Hic Syllogismus statim apparet in *Fapesmo*, quando præ-
missæ transponantur, nempe hoc modo:

Fap. O. Corruptibile est elementare.

esm. N. Stella est corruptibilis.

O. E. Q. elementare non est Stella.

Similiter sit Syllogismus in *FRESISO*,

Fres. N. Stella est meteoron

is. Q. meteoron est cometa

O. E. Q. Cometa non est Stella.

Modò præmissæ transponantur; statim ipse Syllogismus
erit in modo indirecto *Frisismo*.

Fris. Q. Meteoron est cometa.

esm. N. Stella est meteoron.

O. E. Q. Cometa non est Stella.

Sic